



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Directorivm Inqvisitorvm F. Nicolai Eymerici Ordinis Prædicatorum

Nicolaus <Eymericus>

Venetiis, 1607

Quaestio 127. An Inquisitor conferre possit indulgentias accedentibus ad
eius concionem pro fide factam.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13589

Posteriores Pontificum extraneantes reuocatum esse videtur: adeo quidem vt Pius Papa Quintus anno M.D.LXXI die sexta mensis Septembris Pontificatus sui anno secundo, Didaco de Spinosa generali Hispania Inquisitori inhiuerit, ne posset huiusmodi homines ad aliqua beneficia, aut si clerici forent, vt ad superiores ordines ascenderent, habilitare, aut cum presbyteris dispensare, vt in altaris ministerio deseruirent. Sed vide Maiolum libro 5. de irregularitate cap. 46 & Nauarum in Manuali confessorum cap. 27. titu. de tertia specie irregularitatis nu. 205. ex quo intelliges solum Papam dispensare in irregularitatibus prouenientibus, ex defectu anime.

DE INDULGENTIIS
pro fide laborantibus consequentibus.

QUESTIO CXXVII.

An Inquisitor conferre possit indulgentias accedentibus ad eius concionem pro fide factam.

Questio vicesima septima quaestio est: Vtrum Inquisitor clerico, vel populo, quem conuocat ad sermone[m] pro fide, quem interdum facit, et alias habeat potestatem indulgentias conferendi?

Respondemus quod sic? viginti, vel quadraginta dierum, vt patet in litteris Apostolicis Clementis, Alexandri, & Urbani iij. Prae cunctis. §. priuandi praetera, uersic. necnon ubi dicitur sic: Necnon & largiendi viginti, uel quadraginta dierum indulgentiam, quoties opportunum uideritis, omnibus uel poenitentibus & confessis, qui ad uestram conuocationem propter hoc faciendam accesserint, plena sit nobis, & singulis uestrum praesentium tenore facultas.

COMMENT. CLXXVI.

Hoc priuilegium concedendarum indulgentiarum, ac distribuendorum Ecclesia thesaurorum, licet Pontificum proprium sit, ut docet Sotus lib. 4. sent. dist. 21. q. 1. art. 4. fauore fidei Inquisitoribus est tributum per Romanum Pontificem, vt quoties alio aliqua in fauorem fidei celebratur, possit Inquisitor concedere viginti uel quadraginta dierum indulgentiam.

Hoc priuilegium multi Pontifices concesserunt: nullus autem reuocauit. concessit Innocentius III. referi pro incipiente: Mahina eius temporis. item alio incipiente: Tunc potissime. & ante Innocentium III. concessit etiam Gregorius nonus referi pro incipiente: Ille humani generis. haec sunt impressa in Bullario litterarum Apostolicarum, in fine huius operis.

Relat. supra pag. 119.

Priuilegium concedendi indulgentias qui concesserunt Inquisitoribus.

Meminerunt huius priuilegij Reperitorium Inquisito. verbo, indulgentia. §. nunc uidentum summa Armilla verbo, Inquisitor nu. 20. Ioannes Rojas tract. de haeret. par. 2. num. 415.

Num autem posteriores Pontifices Romani in his rescriptis easdem indulgentias concedentes modo censentur priores confirmare; verum etiam de nouo illas concedere, ita quod prioribus accumulenter, ut singuli viginti uel quadraginta dierum aut trium annorum per se concessisse uideantur. ita quod Inquisitores octuaginta dierum, aut centum sexaginta, & amplius concedere possint: item quod Pontifices non modo trium annorum,

sed sex uel nouem, uel quindecim indulgentiarum tribuisse uideantur, dubium esse possit. Bernardus Comensis in Lucerna Inquisitorum accumulati uideatur sentit e verbo, indulgentia eorum §. 5. sed uerius est, posteriores Pontifices easdem priores indulgentias confirmare, nec diuersas concedere: quod series rescriptorum indicat, & huius sententia uidetur esse auctor non obscure supra in hac 3. parte, in principio numero 55. & in omnibus se re modis terminandi processum fidei ubi nusquam apparet eum significare, vt huiusmodi indulgentia cumulatiue concedantur.

Benignius tamen esset, si sua Sanctitas fauore dei eas cumulari, vt homines ad fauendum Inquisitoribus hoc spiritali & maximo premio iuuari facilius excitarerentur.

QUESTIO CXXVIII.

An Inquisitor conferre possit indulgentias socijs ac notarijs suis.



uestio uicesima octaua quaestio est: Vtrum Inquisitor socijs uel notarijs, & notarijs habeat potestatem indulgentias conferendi?

Respondemus quod ipse non, sed dominus noster Papa conferet eis tres annos quando labora uerit. Et si in prosecutione moriantur, plenam confert remissionem peccatorum, vt patet in litteris Apostolicis Clementis, Alexandri, & Urbani iij. Prae cunctis. In quibus post praedicta uerba posita supra quaest. proxima dicitur sic: Socijs uel Fratribus uestri ordinis, & notarijs uestris, qui una uobiscum in prosecutione huiusmodi negotij laborauerint, & omnibus qui uobis personiter assisterint in eodem negotio, & qui ad impugnandos haereticos, fautores, receptatores, & defensores eorum, ex animo uobis praestiterint auxilium, consilium, aut fauorem: de omnipotentis Dei misericordia, & beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, tres annos de inuenitis sibi poenitentijs relaxamus. Et si qui ex his in prosecutione huiusmodi negotij forte decesserint, eis peccatorum omnium, de quibus corde contriti, ac ore confessi fuerint, plenam ueniam indulgemus.

Relat. supra pag. 119.